



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Cæremoniale FF. Minorum Strictioris Observantiæ Almæ  
Provinciæ Saxonæ S. Crucis**

**Sächsische Franziskanerprovinz vom Heiligen Kreuz**

**Nevhsii, 1706**

**VD18 10502327**

Titulus XII. De Benedictione in fine Missiæ & Evangelio S. Joannis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71672)

stet junctis manibus in medio altaris, sicut & Celebrans stat in medio altaris. Si vero Venerabile Sacramentum fuerit expositum, uterque stet parum versus cornu Evangelii ut suo loco dicitur.

Ibid. In Quadragesima dicto per Celebrantem OREMUS pro oratione super populum Diaconus in cornu Epistolae stans, sine reverentia vertit se ad populum, per latus dextrum, hoc est, movet se à dextro ad sinistram, ne tergavertat cruci aut Sacramento si foret expositum, & junctis manibus ac demissis ad terram oculis cantat HUMILIATE CAPITA VESTRA DEO. Quo dicto vertit se per eandem viam versus altare à tergo celebrantis, & Celebrans dicit Orationem super populum, qua conclusa cum Ministris vadit ad medium altaris, ibidemque osculato altari & salutato populo facit ut supra.

## TITULUS XII.

### *De Benedictione in fine Missae, et Evangelio S. Joannis.*

N. 7. **I**N Missa solemni Celebrans eadem voce & modo quo in Missis privatis benedicit populo. Ad quam benedictionem Diaconus & Subdiaconus super secundum altaris gradum & à se aliquantulum distantes, inferiores Ministri in locis suis genuflectunt, idem faciunt qui sunt in choro uno genu. Quod si ante se & à tergo circumstantes habeat, puta Clerum retro & populum ante altare, nihilominus tamen semel benedicere debet manu conversa ad eos qui sunt ante altare intentione directa ad omnes. Versicularii recipiunt sua candelabra & hinc inde dum legitur Evangelium assistunt: ad ET VERBUM CARO FACTUM EST: Celebrans versus cornu Evangelii, reliqui etiam qui sunt in choro versus altare genuflectunt.

Lecto Evangelio redeunt ad medium altaris, Diaconus & Subdiaconus in 2do altaris gradu, & facta ab omnibus cruci inclinatione, dum Sacerdos descendit ad 2dum gradum, ipsi facie versus Celebrantem

tem

rem se vertentes, cum eo descendunt ad planum capellæ, & facta coram tabernaculo genuflexione uno genu, ad Sacristiam revertuntur modo, quo venerunt.

Si Cantores fuerint superpelliceis induti, finito Evangelio vadunt ad gradum ante Præbyterium & Ministris ex altari venientibus se adiungunt, & immediatè ante Subdiaconum Sacristiam intrant, cum ad Sacristiam pervenerint, Ministri omnes lateraliter se collocant & primo Celebranti per medium transeunti, deinde cum ipso cruce se inclinant, postmodum Thuriferarius & Versicularii Sacerdotem & alios Ministros in exirendo adjuvant, &c. Petuntque omnes benedictionem. Thuriferarius extinguit candelas, altare mappis ordinariis tegit, libros & alia de credentia ad Sacristiam reportat. Calix si in credentia remanserit, à Subdiacono adhuc alba & manipulo induto ad Sacristiam deferendus est.

## TITULUS XIII.

### *De his quæ omittuntur in Missis pro defunctis.*

Quandocumque pro defunctis est Missa solemniter celebranda, altare simpliciter absque Imaginibus, Reliquiis, floribus, aliisque ad ornatum pertinentibus paretur. Credentia sit simplici mappa connecta, & in ea apponuntur omnia ut in alia Missa solemnī, excepto velo oblongo Subdiaconi.

Procedit Sacerdos ad altare ut alias, sed Thuriferarius sine thuribulo, quoniam *non incensatur altare ad introitum*, Ceroferarii, tamen cum candelabris & candelis accensis, quia ab illa Rubrica Tit. 2. n. 5. non fit exceptio, candelabra tamen ut in aliis Missis solemnibus mox in credentia collocant.

*Subdiaconus finita Epistola non osculatur manum Celebrantis nec benedicitur.* Tamen ante & post cantatam Epistolam in medio flectit. *Diaconus non petit benedictionem nec osculatur manum Celebrantis*: sed collocat